

BALLIO (LENO)

Exite, agite¹ exite, ignavi, male habiti et male² conciliati,

quorum numquam quicquam cuiquam venit in mentem ut recte faciant,

135 quibus, nisi ad hoc exemplum experior, non potest usura usurpari³.

(Il les fouette)

Neque ego homines magis asinos numquam vidi, ita plagis costae callent :

quos cum ferias⁴, tibi plus noceas. Eo enim ingenio, hi sunt flagritribae,

qui haec habent consilia : ubi data occasiost⁵, rape, clepe, tene,

harpaga, bibe, es, fuge. Hoc est

140 eorum officium, ut mavelis lupos apud oves linquere

quam hos domi custodes.

At faciem cum aspicias eorum, haud mali videntur : opera fallunt.

Nunc adeo hanc edictionem nisi animum advertetis omnes,

nisi somnum socordiamque ex pectore oculisque exmovetis,

145 ita ego vestra latera loris faciam ut valide varia sint,

ut ne peristromata quidem aequae picta sint Campanica

neque Alexandrina beluata tonsilia tappetia.

1 *Agite* (impératif devenu une interjection) : allez !

2 *Male* = *damno meo* : à mes dépens / *Habitus, a, um* : qui est possédé, entretenu / *Conciliatus, a, um* : ici dans le sens d'acquis, acheté.

3 *Quibus* : ablatif suggéré par le nom *usura = usus*, du verbe *utor* + ablatif

4 *Ferias, noceas et aspicias* (v.137) : subjonctifs présents d'indétermination à la 2^{ème} sg, à traduire par la tournure indéfinie "on".

5 *Ubi data occasio [est]* = *ubi data est occasio*.